

author: Amalteo, Cornelio

title: Cornelii Amalthei Protheus. Hoc poemate auctor multo ante pugnam naualem ad Echinadas, futuram uictoriam uaticinatus est

shelfmark: MISC 0168.054

library: Biblioteca nazionale Marciana - Venezia - IT-VE0049

identifier: VEAE120983

Le riproduzioni digitali accessibili dalla Biblioteca digitale italiana di [www.internetculturale.it](http://www.internetculturale.it) sono per la maggior parte di dominio pubblico, e provengono dalle attività di digitalizzazione realizzate dalle biblioteche che possiedono gli originali e la proprietà delle riproduzioni digitali, e sono istituzioni partner del portale.

La riutilizzazione non commerciale è libera e gratuita nel rispetto della normativa vigente.

Ai fini della riutilizzazione commerciale e/o per ottenere un documento ad alta definizione contattare il detentore dei diritti del bene digitale utilizzando nel Download del documento, il contatto di posta elettronica.

Gli utilizzatori finali dei beni digitali, sia che riproducano parzialmente o completamente le immagini, dovranno sempre e comunque citare la fonte [www.internetculturale.it](http://www.internetculturale.it)

.....

The digital reproductions accessible from the Italian Digital Library [www.internetculturale.it](http://www.internetculturale.it) are mostly of public domain, and come from the digitization activities carried out by the libraries that own the originals and are ownership of digital reproductions, and are Institutions partner of the portal.


The non-commercial re-use is free in accordance with the local regulations.

To allow commercial reuse and/or to obtain a high-definition document please, contact the copyright holder of the digital object using the contact e-mail you can find in the Download of the document.

The terms of use of the Internet Culturale material states that the final users that reproduce images or part of them must mention the source [www.internetculturale.it](http://www.internetculturale.it)











# CORNELII

A M A L T H E I

P R O T H E V S.



Hoc poemate auctor multo ante pugnam naualem ad Echinadas, futuram uictoriam uaticinatus est.



BIBLIOTECA NAZIONALE  
VENEZIA  
DI S. MARCO

VENETIIS,

APVD ONOPHRIVM FARREVM.

M. D. LXXII.

~~11~~  
54

CORNELII

AMALTHAEI

PROTHEVS.



Hoc poemata auctor multis ante pugnam parat-  
tum ad Echinas, finem in victoria  
nancians est.



VENETIS.


APVD ONOPHRIVM FARREVM.

M. D. LXXII.

2/1

SERENISSIMO PRINCIPI IOANNI  
Austrio, Diui Caroli V. Aug. F. &  
Christianaë classis Imperatori.

CORNELIVS AMALTHEVS.



PROTEVS



UREA Tithoni coniux subtra-  
xerat umbras,  
Pronaq; Puniceo velarat sidera  
vultu,  
Cum Sol Eoo tollens è gurgite cur-  
rus  
Illustri magnum detexit lampade  
mundum.

Tum subito Adriacis Proteus sese extulit undis,  
Quem comit abatur flauos resoluta capillos  
Cymothoë, atque Hyale, niueisq; Arethusa lacertis,  
Atq; alie vatem Nereides admirantes,  
Ut ventum ad littus, passim hic vacinia nigra,  
Pallentesq; legunt violas, mollesq; hyacinthos.  
Mox omnes circumsistunt, & carmina poscunt.  
In medio Proteus altum iubet æquora murmur  
Ponere, & Aeolios stridentia flamina ventos:

A ij



www.internetculturale.it

Quo iussu placantur aquae, placantur Austri.  
Ipse autem canit, ut nutu suspendit orbem  
Rex superum, qualisq; hominum concrevit origo  
Informi ex limo: necnon elementa per omne  
Fusa genus, caeloq; etiam labentia signa.  
Tum memorat Phæbi cursus, Lunaeq; meatus;  
Quid ferat Arcturus, quid verno Pleiades ortu,  
Quid tristes Hyades, quid desolatus Orion.  
His addit Lapithum media inter pocula rixas,  
Et dirum exitium Cadmi, vultusq; Medusæ.  
Tum miseræ Inachidos deplorat tristia fata.  
Infelix virgo, quondam tu nectare digna,  
Et dulci ambrosia, thalamoq; toroq; Deorum:  
Nunc autem folijs, & amaro gramine tantum  
Pascaris, atque sitim limoso flumine pellis,  
Gramineoq; iaces septis inclusa cubili.  
Infelix virgo, quoties tu verba referre  
Conaris, toties auras mugitibus imples.  
Ah pater, ah rector superum miserere puellæ,  
Iam miserere tuæ, finemq; impone labori.  
Hinc Progenem Tereo conuiuia sæda parantem,  
Candentesq; humeros Pelopis, Nisiq; capillos  
Commemorat, post hæc miseros decantat amores  
Bistonij vatis, qui quondam coniuge rapta  
Ausus inaccessas Erebi lustrare tenebras,

Tartareum potuit custodem flectere cantu,  
Et reditum ad superos optata aperire puella,  
Sed tamen incautum metus, & dementia vatem  
Inuasit; sociamq; via iam luce sub ipsa,  
Iam iam Tenary egrediens è liminis oris  
Respexit. tunc illa iterum se Ditis ad umbras  
Corripiens; Erebi leges, atque impia fata  
Visa queri, miserumq; viri incusare timorem.

Tum canit insignem sacris Heliconæ Camænis,  
Parnasumq; orbis medium, letosq; per agros  
Aonidum blando labentes murmure fontes.

Te quoque Pyrenes decus, & Mauortis alumne,  
Cuius ob imperium cælo caput Austria tollit,  
Hoc tandem celebrat diuinus carmine vates.

Macte animo Princeps, genus alto è sanguine diuum,  
Qui modo coniunctas æterno fœdere classes,  
Magnorum Regum classes, Venetiq; Senatus,  
Sublimi è specula totum prætexere pontum  
Despicias, & validas Neptuno ostendere vires,  
Eia agè terribili Thracum pete fulmine puppes,  
Fulmine, quo mundi moles operosa pauescat:  
Et gentem sceleratam imo demerge sub Orco,  
Tunc Asia ingenti perculsus clade tyrannus  
Abscindet manibus crines, atque unguibus ora.  
Mox iræ impatiens prærupto è vertice saxi

Sese precipitem demittet in equoris undas.  
Hinc iuga seruitio soluent & Maurus, & Indus,  
Fallacisq; dei ritus, legesq; profanas  
Contemnent, genitumq; colent è Virgine numen,  
Et Romana ferent patrias uexilla per urbes,  
Tum Parca unanimes Saturnia secula reddent,  
Et rursus terrarum orbem Pax alma reuifet.  
Sponte sua fecundus ager flauescet aristas,  
Sponte sua molli sese rubus induet uua,  
Aureaq; eternum pendebunt arbore poma,  
Ac passim vario pingetur terra colore.  
Ilice præterea stillabunt dulcia mella,  
Et pecudes multo distendent ubera lacte,  
Colludentq; lupis medys in vallibus agne.  
Quinetiam placidis sternetur fluctibus equor,  
Nec Scyllam pinus metuet, nec nauta Charybdim.  
Spirabunt Zephyri tantum, quorum omnia flatu  
Ridebunt, totusq; adeo letabitur orbis.  
Quare agè, ne prorsus desint hæc otia terris,  
Magnanima Heroum soboles, iam sume potenti  
Arma manu; teq; his quamprimum accinge trophæis.  
Te Bellona ferox, & te Fortuna sequetur.  
Quid loquar Heliæ dum lacrymas, mutataq; membra?  
Quidue pie Clymenes fusas è corde querelas,  
Cum Phaëthonta polo deiectum fulmine uidit?


*Omnia, quæ Musis Helicon, quæq; Ismarus Orphe  
Audijt, ille cānit. resonos dant littora plausus,  
Donec ad occultas redierunt numina sedes.*


*Eiusdem.*

**P***Ectora Threicio dum scinderet ungue tyranno,  
Impiaq; eriperet dentibus exta Leo,  
Cornua depressit Phæbe, currusq; retraxit;  
Ac mæstotales edidit ore modos.  
Ecquis iò pænas persoluit acerbius unquam?  
Non auida Tityus sic laceratnr aue.  
Cur ita? Flagitijs hoc tam crudelior ille est,  
Vulture quàm morfu durior ipse Leo.*

Faint, illegible text in a historical script, possibly Latin or Italian, arranged in several lines across the page. The text is heavily faded and obscured by numerous brown spots (foxing) on the aged paper.











www.farnetculturale.it

BIBLIOTECA NAZIONALE DI SAN MARCO  
MISCELLANEA  
163  
54  
OPUSCOLI N.°

